



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 7. Conventus Bituricensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. VII.

Sæcul. XV.
A.C. 1431.*Conventus Bituricensis.*

Proxima Seffio nonnisi sequenti anno
 celebrabatur, quo tempore interme-^{Joæ. Chart.}
^{hist. Car. VII}
 dio plures habebantur congregations,
 in quibus a Patribus deliberatum, qua-
 ratione Eugenium a præconcepto Syno-
 dum dissolvendi proposito dimoverent.
 Hanc ob caussam Ecclesiæ Gallicanæ
 Præfules auctoritate Regia Biturigibus
 conventum agunt, & die vigesima sexta
 Februarii quædam decreta, vel *avisamen-*
ta, (proutilla ætate loquebantur) condunt,^{Conc. Gen.}
^{Labbe ap-}
 in quibus Concilium legitime convoca-^{pend. I. tom.}
^{12. p 813.}
 tum, & Basileæ celebrandum, nec in a-
 liam urbem transferendum esse declara-
 runt; hinc Regem Christianissimum exo-
 rabant, ut ad Pontificem saos mitteret
 Legatos, qui Ecclesiæ necessitates, atque
 universam Christianæ Religionis salutem
 proponendo Eugenium permoverent, ut
 Basileensem Synodum continuaret, sic-
 que tam suis, quam fidei hostibus os ob-
 turaret, Eundem quoque Regem Ca-
 rolum VII. rogarunt, ut datis ad Sigis-
 mundum Romanorum Regem, & ad
 Sabaudiæ, ac Mediolani Duces literis,
 eos ad promovendam hanc Synodum,
 necnon ad itinerum, præcipue versus Ro-
 mam,

Sæcul. XV. mam, securitatem sollicite curandam adhortaretur. In hoc Bituricensi conventu designabatur Amadæus Lugdunensis Archiepiscopus, postea Cardinalis, qui nomine Regis, atque Cleri sua Pontifici obsequia deferret. Supplicarunt etiam Regi, ut ad Synodum suos legatos mitteret, necnon Regni sui Prælatis illud accedendi libertatem concederet; Annuit Rex, eisdemque pro necessariis expensis quarta decimarum pars assignata fuit.

§. VIII.

Literæ encyclicaæ Patrum pro continuatione Concilii.

Ne igitur rumoribus, quibus Synodum a Papa proxime dissolvendam evul gabatur, reliqui Prælati absterriti, Basileam se conferre negligerent, Concilii Patres die vigesima prima Januarii hujus anni ad universos Christi fideles encyclicas dederunt literas, quibus eos certiores fecerunt, se unanimi suffragio decrevisse, atque ordinasse, inchoatum semel, rite ac legitime convocatum Concilium se prosecuturos, nec ullo pacto Basilea discessuros, donec penitus absolutum fuisset; singulos adhortati, ut in hoc proposito eos adjuvarent, Prælatis quidem sub poenis in jure statutis injunxerunt, ut ad

Synodum